

quamvis id facere valde vereantur, et assignatur aptior modus id faciendi ex decreto relato supra num. 10.

(38. Confessarius sollicitans non tenetur denunciare se ipsum, nec monere Pœnitentem, ut ipsum denunciaret. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 8. Reiffenstuel Theolog. moral. tractat. 14, distinct. 8, quæst. 5, num. 65, cum aliis ibi citatis, Leander loc. citat. quæst. 42. Felix Potestas loc. citat., n. 493, et alii passim. De Jure enim naturæ nemo tenetur pro lere se ipsum; cap. *Quis aliquando* 87. de Pœnitent. dist. 1. Et clare patet ex verbis dictæ Constitutionis Gregorianæ; ibi: « Ut suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis sollicitatos, » etc., ubi nota quod Bulla dicit *ab aliis*, non autem a se ipso sollicitatos (1).

(39. Nec Pater, Mater, Filius, Frater, Soror tenentur ipsum denunciare; leg. *Quarta* § 4, ff. de testibus relat. in cap. *Si testes* 3, caus. 4, quæst. 2 et 3. Diana part. 1, tractat. 4, resolut. 6. Tancred., tom. 4, tractat. 1, quæst. 23. Felix Potest l. c. n. 599, vers. *Pariter*, et alii (2).

(40. Nec denunciare tenetur Pœnitens, si exinde prudenter, et probabiliter timeat grave, et ingens malum sibi, aut suis conjunctissimis; nempe Patri, Matri, Marito, Filiis, aut Fratribus. Præcepta enim humana

(1) Ita in Supremo Tribunali S. Inquisitionis sub die 17. Nov. 1624. decisum fuisse refert Laurentius Cozza in Dubiis selectis circa sollicitationem dub. 44. num. 270. *nimirum Confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denunciandos seipsos*. Ex quo infert pag. 145. seq. « Si non sunt adstringendi, sequitur, quod non teneantur seipsos denunciare. Etenim quia fœminæ sollicitatæ tenentur denunciare sollicitantem, adstringendæ sunt ad denunciandum, ergo si sollicitantes non sunt adstringendi, signum erit, quod non teneantur. » Cujus quidem rei hanc num. 271. pag. 146, rationem affert: « Cum... hoc in Apostolicis constitutionibus, neque in Edictis Inquisitorum præceptum sit, ut sollicitantes Confessarii se Inquisitoribus denuntient, non est unde oriatur hujusmodi obligatio. » (*Edit. Barbiell.*)

(2) Hoc ipsum docet... Diana, et veriorum, attenta praxi, existimat Carena opinionem affirmativam, *dict. tit. 9. § 5. num. 15*. Nam, inquit, eadem militat ratio de hæreticis, ac de hæresi suspectis denunciandis; et dum loquitur de personis obligatis ad denunciandum, loquitur per verba generalissima: *Comandiamo a tutti, ed a ciascuna persona, etc., di qualunque condizione, etc.*, ergo generaliter est intelligendum, ut comprehendat etiam omnes consanguineos personæ denunciandæ. *Hæc Carena*. Sabjungit hæc, quod Filius cogi potest ob generalitatem Edicti Inquisitorum, ad denunciandum Patrem blasphemum, ex sententia Lazarii de Blasphem. q. 12. n. 57. et Comitoli l. 4. cit. q. 8. Insuper et Parentes tenentur denunciare Filios maleficos, et Filii Parentes, ut tradunt idem Lazarius, et idem Comitoli, et firmat Petrus Binsfeld. *de Confessar. Malefic. membr. 2. post Principium § pro parte negativa*. Quin etiam probat Homob. tom. 1. *disquis. mor. tract. 7. de primo præc. Dec. c. 15. q. 17*. Atqui sunt isti solum de hæresi suspecti, nequaquam formaliter hæretici; ergo quamvis Confessarii sollicitantes sint solum suspecti de hæresi, erunt quoque et ipsi a propriis denunciandi consanguineis. Et cum hæc sit praxis, ut admonet Diana, ideo hæc est

non obligant cum tam gravi sui, suorumque conjunctissimorum nocumento. Leander loc. cit. q. 44. Lezana tom. 1. qq. Regul. cap. 19, num. 34. Roderic. Acugna tract. de Confessorum sollic. quæst. 19. Felix Potestas loc. cit. num. 495 et 599. Peyrin. et alii plures. Rosignol. tamen loc. cit. sect. 2, n. 6. Bonacina de onere, et obligat. denunci. disput. 6, punct. 2. num. 11, in respons. ad 2, ad object. 2, et alii defendunt oppositum (3).

(41. Denunciatio Confessarii sollicitantis faciendæ est Episcopis, vel Inquisitoribus. *Communis*, per verba expressa toties repetitæ Constitutionis, ibi: « Moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinariis. »

(42. Episcopi sollicitantes non sunt denunciandi Inquisitoribus, sed Sedi Apostolicæ; Episcopi enim etiam in causa Hæresis non subduntur Inquisitoribus, cap. *Inquisitores* 16, de Hæreticis in 6, et Concil. Tridentin. sess. 24, de Reformat. cap. 5. Et sic tenent Leander tract. 5, de Pœnitent. disput. 13, qu. 50. Thom. Hurtad. Castropal. Fagund. et alii apud ipsum, Felix Potestas loc. citat. num. 621, pluresque alii. Rosignol. autem loc. cit. art. 21, n. 10 et sequent. cum aliis ibi citatis dicit, quod Episcopi sollicitantes denunciandi sint Inquisitoribus,

amplectenda opinio. » Ita Cozza *Dub. 48, num. 299. seq. pag. 160. seq. (Edit. Barbiell.)*

(3) Cæterum ait Cozza *Dub. 42. n. 259. seq. pag. 140. seq.* « ad evitandam omnem excusationem denunciandi, in præsentis casu præcipue, in Supremo Tribunali sub die 15. Septembris 1625. declaratum fuit, ut quoties mulier nobilis, et verecunda intra Urbem induci non potest ad denunciandum, consulatur Sacra Congregatio: si vero extra Urbem, consulatur Episcopus, vel Inquisitor, qui si habent difficultatem, isti quoque consulant Sacram Congregationem; sin minus, dent facultatem Confessariis absolvendi pœnitentes, quæ justis de causis denunciare recusant, quæ tamen absolvi debent sub conditione, quatenus cessantibus causis teneantur denunciare, atque interim non adeant amplius ad Confessarium, a quo fuerant sollicitatæ. Et ita in præsentis casu, quo quis timet notabile damnum ex denunciatione, ut induci non possit ad denunciandum, sequenda est praxis hujus decreti, nimirum, si intra Urbem, Confessarius consulat Sacram Congregationem S. Officii; si extra Urbem, Episcopum consulat, vel Inquisitorem respective, atque ab eis mandatum recipiat, quomodo se cum tali pœnitente gerere debeat: nec de suo capite hanc vel illam opinionem sequendo, ab obligatione denunciandi eam eximere audeat: nam in hac materia semper expectandum est Superiorum mandatum. Denique in eodem Supremo Tribunali sub die 11. Maii 1626, decretum fuit, ne Episcopi, sive Inquisitores sint valde solliciti, et proclives in danda Confessariis facultate absolvendi pœnitentes sollicitatas sine prævia denunciatione, sed solum hoc faciant, dum adest magna causa excusans ab onere denunciandi: semper tamen sub præfata conditione, ut cessante causa teneantur denunciare. Ex quibus constat, numquam licere Confessario eximere pœnitentem ab onere denunciandi quacumque de causa, sed in omni casu difficili consulere tenetur Superiores, expectando eorum mandatum, suspensa interim pœnitenti sollicitato Sacramentali absolutione. » (*Edit. Barbiell.*)

qui tamen nequeunt contra illos procedere, nec testes assumere, sed tenentur rem ad Summum Pontificem deferre.

(43. Inquisitores sollicitantes, ubi sunt veri Delegati Sedis Apostolicæ, et ejus Officiales, sunt denunciandi ipsi Sedi Apostolicæ; ubi vero sunt solum subdelegati, et Commissarii Inquisitoris Generalis, sunt denunciandi ipsi Inquisit. Gener. *Sic in re Communis*.

(44. Generales Ordinum Regularium sollicitantes denunciandi sunt Inquisitoribus, vel Episcopis; *Communis*, per verba expressa citat. Bullæ Gregorii, ibi: « Regulares cujuscumque Dignitatis, et Præminentia, aut quovis privilegio muniti existant. »

(45. Denunciatione autem accepta non posse ulterius Inquisitores contra dictos Generales procedere, sed debere rem totam deferre ad Sedem Apostolicam docent Bordon. in Sacro Tribunal. cap. 27, n. 27, et uterque Rodrig. Pegna, et Navarr. relati a Diana part. 4, tract. 8, resolut. 23, et etiam alii plures per text. in citat. cap. *Inquisitores* 16, de Hæreticis, in 6, ibi: « Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios Superiores Prælatos sciverint, vel invenerint circa crimen Hæreseos commisisse, ut eos de hoc diffamatos existere vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicæ denunciare. » Diana tamen loc. citat. Felix Potestas loco citato num. 626. Freitas, et alii volunt etiam puniendos esse Generales? In Officio Sanctissimæ Inquisitionis per clara, et generalia verba; omnes Regulares cujuscumque Dignitatis, et Præminentia, aut quovis privilegio munitos comprehendentia, et statutentia in Officio Sanctissimæ Inquisitionis severissime esse puniendos, ibi: in Officio SS. Inquisitionis severissime, ut infra puniantur.

(46. Obligati ad denunciandum Confessarios sollicitantes, si absque legitima causa, et vero impedimento negligant ipsos intra præfixum tempus denunciare, ultra peccatum mortale, incurrunt etiam Excommunicationem latæ sententiæ ex Decreto Supremæ Universalis Romanæ inquisitionis die 3. Januarii 1623, relato a Diana part. 4, tract. 5, resolut. 41, in quo præcipitur sub Excommunicatione majori latæ sententiæ denunciandos esse Hæreticos, aut de Hæresi suspectos, intra duodecim dies a notitia delicti, Inquisitoribus, vel Locorum Ordinariis; quod decretum esse perpetuum asserit Diana loc. citat. contra Bordon. in Tribunal. Fidei c. 30, n. 2.

(47. Nec obstat, quod Confessarius credatur jam emendatus, vel elapsus sit jam multum tempus a facta sollicitatione, quia adhuc urget præceptum et obligatio denunciationis. Carena de Sancto Officio p. 2, de Confessar. sollic. tit. 6, § 20, num. 128 et seq. Castrop. in suo opere moral. § 19, n. 1. Bonacina disp. 6, punct. 3, num. 9, vers. *Hæc limitatio*; Diana part. 4, tract. 5, resolut. 23, cum Bonacina, Suarez, et aliis ibi citatis, Delbene p. 1, d. 18, et p. 2, d. 237, sect. 13, p. 1, cum pluribus aliis ibi allegatis. Felix Potes-

(1) Prima sententia vera est, posterior vero falsa. Vide Antoine.

tas loc. cit. n. 606. Rosignol. loc. cit. sect. 3, n. 23, et alii plures. Et ratio est, quia hoc onus denunciationis non solum inductum est ad finem emendationis, sed etiam ad finem exemplaris punitionis, ut alii deterreantur ab hoc execrabili, et nefando crimine perpetrando; qui finis adhuc viget, etiam supposita emendatione Confessarii sollicitantis, adeoque, etc.

(48. Leander autem tract. 5, de Pœnit. disp. 13, q. 7, et apud ipsum, Sotus, Molfesius, Naldus, Acugna, Freitas, Portell. Peyrin. Sousa, Lezana, Castrop. S. Antoninus, et alii defendunt oppositum, (1) quia dicunt: finis denunciationis est emendatio proximi; unde, hac habita, cessat obligatio denunciationis, quia cessat ejus finis, cum cessante ratione, et causa Legis, vel obligationis, cesset ipsa Lex, seu obligatio; l. *Adigere* 6, § 2, ff. de Jurepatronat. cap. *Cum cessante* 60, de appell. Ratio enim Legis est anima Legis l. *Cum ratio* 7, ff. de bonis damnator. At isti hodie non sunt amplius audiendi ex Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV, ubi sub § 2, obligat ad denunciationem, etiam si longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit.

(49. Terminus pro denunciatione faciendæ pendet ab Edictis Inquisitorum. Licet enim onus denunciationis directe oriatur ex lege Pontificia, executive tamen pendet ex Edictis Inquisitorum, qui sub pœna Excommunicationis compellunt intra determinatum tempus ad executionem, et observantiam talis oneris. Carena part. 2 de Conf. sollic. tit. 6, § 21, num. 120; Sanctarellus de Hæresi cap. 46, num. 10; Bonacina de onere, et obligatione denunciati. disp. 1, punct. 3, num. 10; Bellochius de casibus reserv. p. q. 9, num. 205; Rosignol. loc. cit., sect. 4, num. 3; Felix Potestas loc. cit. n. 631; Leander loc. cit. q. 53, ubi testatur, quod in Edicto Inquisit. Hispan. solent assignari sex, aut septem dies pro termino ad denunciandos Confessarios sollicitantes; qui terminus solet assignari etiam in Edicto Inquisit. Siciliae, ut refert Felix Potest. loc. cit., num. 634. (50. Unde quatenus Decretum Supremæ, et universalis Inquisitionis Romanæ, die 3. Januarii 1623, relat. supra num. 45, assignans pro termino 12 dies non sit perpetuum, ut contendit Bordonus, et alii, standum est termino præfixo a respectivis Inquisitoribus, cum hac advertentia, quod dies termini non computantur in termino leg. *Vicinia Millia* 1, ff. *Si quis cautionibus*, cap. *Frequens* 1, cum concordant, de quibus ibi per Glossam in verb. *Proponitur*, de restit. spol. in 6, Diana p. 4, tract. 5, resolut. 41; Felix Potestas l. c. num. 632 et alii.

(51. Pœnitens sollicitatus, qui ob non factam denunciationem intra debitum terminum incurrat Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi virtute Bullæ Cruciatæ, nec vigore privilegiorum Regularium, si ipse Confessarius sit Regularis; nam non potest quis ab-

solvi a peccatis, nisi prius absolvatur a Censuris. A Censuris autem non potest quis absolvi per Bullam Cruciatæ, et Privilegiatus, nisi satisfacta parte; adeoque talis Pœnitens, non obstante dicta promissione, non potest absolvi, nisi prius denunciaret. Diana part. 4, tract. 5, resol. 35; Felix Potest. l. c. n. 640 et alii contra alios.

(52. Pœnitens sollicitatus, qui ob omissam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi virtute Bullæ Cruciatæ, aut a Regularibus virtute suorum privilegiorum; at non a simplici Confessario. Bordon. in tribunal. Fidei c. 30, n. 19; Felix Potestas l. c. n. 641; Diana l. c. resol. 29 et alii. Et ratio primæ partis est, quia Confessarii virtute Bullæ Cruciatæ, et Regulares virtute suorum privilegiorum possunt, satisfacta parte, absolvere ab omnibus reservatis Summo Pontifici, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, et aliis Clementinis, ut patet sub verb. *Absolutio*, hoc ipso verb. *Confessarius*, et verb. *Reservatio Casuum*, iis tamen limitibus, de quibus in Append. ad art. 3. Ratio autem secundæ partis est, quia talis Excommunicatio est reservata Pontifici, et Inquisitoribus, ut patet ex eorum Edictis, et ex Decreto, die 3 Januar. 1623, relat. supra num. 45, adeoque non potest absolvi a simplici Confessario non habente ad id privilegium.

(53. Sic Pœnitens sollicitatus, qui infra debitum terminum non denunciavit, quamvis postea extingatur onus denunciationis, ex quo mortuus sit Confessarius denunciandus, aut ex alio capite, non potest absolvi a quolibet simplici Confessario, sed solum a supradictis Privilegiatis propter rationem adductam. Leander tract. 5 de Penitentia, disp. 13, q. 59; Felix Potestas l. c. n. 642; Diana l. c. resol. 29, recte advertens insuper, quod tam in hoc, quam in cæteris casibus Inquisitionis illi, qui denunciare neglexerunt, quando postea denunciant, et sic parti satisfaciunt, possint a Confessariis Regularibus, et ab aliis virtute Bullæ Cruciatæ absolvi absque ullo onere se præsentandi Inquisitoribus (1).

(54. Confessarius sollicitans potest a quolibet simplici Confessario absolvi, quia sollicitatio nullo Jure est reservata; nisi tamen reservata sit in aliqua Diœcesi, ut in Neapolitana et aliis. Felix Potest. l. c. n. 601 et alii passim.

(55. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere Pœnitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantes denunciant Inquisitoribus vel Episcopis. Avila de Censuris p. 2, cap. 7, jub. 7, in fine; Rosignol. loc. cit., sect. 4,

(1) Nunc aliter statuendum. Omittentes intra id respective tempus scilicet: *præscriptum in Edictis Universalis Romanæ Inquisitionis vel cæterorum tam particularium Inquisitorum, quam Episcoporum*, denunciationem, inquit Giraldis in Appendic. citat. pag. 627. seq., in Urbe et ejus districtu, incurrunt excommunicationem, quæ reservata est S. I. Extra Urbem vero, ejusque districtum non nisi ab Episcopo, vel peculiare Inquisitore, si tamen eam sibi, et peccatum reservaverint; alias post denunciationem factam, absolvi poterunt a quolibet Confessario,

n. 4; Diana p. 1, tract. 4, resol. 27; Felix Potestas loc. cit. num. 638 et alii. Tales enim Pœnitentes una semel quod sunt absoluti, non curant amplius denunciare.

(56. Dicitur autem notanter: *Regulariter loquendo*, quia in aliquibus casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem et signanter si urgeat necessitas Communionis, aut aliqua adsit justa causa, ob quam prudentes Confessarii judicent denunciationem esse differendam, et Pœnitentes sint timoratae Conscientiæ, et serio promittant quamprimum denunciare. Sic Zanardus in Direct. Theol. p. 2, præcept. 2, cap. 11 in fine; Rosignol. l. c. n. 5; Felix Potestas l. c. n. 639; Diana p. 1, tract. 4, resol. 27 cum aliis ibi citatis. Et idem decet in similibus casibus Emmanuel Rodriguez, in Summa tom. 2, cap. 34, num. 6; Sanctarell. de Hæresi c. 9, dub. unic., num. 16 in fine; Peyrinus in privil. Minim. tom. 1 Const. 5; Gregor. XV, §9, num. 23 et alii. Vide quæ ex Cozza attulimus in Not. ad num. 40.

(57. Immo cautissime procedere debent Confessarii circa imponendam Pœnitentibus obligationem denunciandi antequam eos absolvant, ut recte monent Lezana in Summa qq. Regul. cap. 19, num. 34. Peyrin. l. c. a. n. 26, et alii passim, ipsos Confessarios serio monentes, ut antequam Pœnitentes obligent ad denunciandos Confessarios, diligentissime attendant qualitates et conditiones, cum Pœnitentium, tum Confessariorum, et mature examinent naturam et sensum verborum, et significatum signorum, nutuum, tractuum, et hujusmodi prætensæ sollicitationis, et ubi ex ipsis non appareat certa sollicitatio, seu de se cognoscere nequeant, an vera in his intercesserit sollicitatio denuncianda, remittant ad alios Confessarios in his materiis instructiores, et expertiores; cum non semel a non stans instructis Confessariis immerito fuerint obligati Pœnitentes ad denunciandos innocentes Confessarios cum maximo detrimento suæ famæ, et gravissima sua injusta afflictione, et pœna. Eo vel maxime quod, ut docent Bordonus l. c. n. 582, et alii, in dubio sollicitationis non sit onus denunciandi. Vide supra n. 35.

(58. In casu vero, quo reperitur, atque certo percipiatur intervenisse veram sollicitationem, nec possit Pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, et ordinariè in Monialibus ratione etiam clausuræ, servanda est expediens praxis juxta Decretum Sacræ Congregationis supræmæ, et universalis Inquisitionis allat. supra. n. 10. Quod

quemadmodum testatur, sibi responsum fuisse a P. Commissario Universalis Inquisitionis Romanæ Nicolaus Terzago, Episcopus Narniensis, in Instructione ad Confessarios suæ Diœcesis, § *De peccatis contra Fidem*. Omittens vero denunciare Confessarium de sollicitatione intra dictum mensem, etiamsi postea denunciasset, olim non poterat absolvi, nisi a dicta Inquisit. Rom.; hodie tamen ex decretis ejusdem ann. 1755. et 1758. absolvi potest a quolibet Confessario. (Edit. Barbiell.)

si neque ad id possit talis verecunda Pœnitens flecti, voluit Pontifex Urbanus VIII, de cujus mandato editum fuit dictum Decretum, quod ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio; et interim non absolvatur talis Pœnitens, utpote indisposita; Sic ex Carena § 10, refert Viva ad propos. 7. Alexandri VII, num. 7, ubi subjungit, quod in casu non ab simili adivit ipse per Epistolam Innocentium XI, qui benigne dignatus fuit facultatem ei tribuere absolvendi pro ea vice Pœnitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse panici cujusdam timoris prætextu. Confer testimonium Cozzæ productum in Not. ad num. 40. (1).

(59. Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, si Pœnitens sollicitatus confiteatur cum Confessario sollicitante sub prætextu, quod hic possit ipsum absolvere absque onere denunciandi. *Communis ac certa*, per expresse damnatam propositionem 7. in ordine ab Alexandro VII, die 7 Septemb. 1665, ibi: « Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi. »

(60. Quamvis enim Confessarius desinat Pœnitentem monere de obligatione ipsum denunciandi, ad quod non teneri constat ex dictis supra num. 37, adhuc tamen non cessat in Pœnitente obligatio, ipsum, seu alium Confessarium sollicitantem denunciandi, si aliunde sciat se ad id lege Pontificia obligari. Sicuti non cessat onus restitutionis in Pœnitente ex quo Confessarius desinat ipsum monere de tali obligatione, si aliunde eam

(1) Constitutionem Benedicti XIV *Sacrament. Pœnitentiæ* integram refert, et notis opportunis illustrat P. Philippus a Carboneano in Appendice *De Sollicitatione* ad Tractatum P. Gabrielis Antoine *De Pœnitentiæ*. Regulas quoque ex Const. eadem, et Constit. *Universi Dominici Gregis XV*. ab Auctore nostro num. 2. descripta eductas proponit ad cognoscendum qui denunciandi sint, quas ob causas, quando, et qua ratione denunciare oporteat. Has regulas P. Giraldis transtulit in Appendicem ad sect. 809. part. 1. ex Libro V. Decretalium tit. VII. *De hæreticis*, Exposit. Juris Pontificii pag. 656. seqq. et nonnullis *animadversionibus* declaravit. Alia præterea in Appendicem eandem congressit, quæ magno usui Theologis, et Confessariis esse possunt; nimirum Dubia nonnulla post emanatam Gregorii XV. Constitutionem exorta, circa onus denunciandi Confessarium sollicitantem, et Supræmæ Universalis Inquisitionis Congregationi proposita, expensaque ab ejus Qualificatoribus, quorum ipsa resolutiones approbavit, et servari mandavit die 11. Februar. 1661, relata a Card. Albitio part. 1. cap. 25. *de Inconstantia in Fide* num. 66, tum varias Instructiones circa denunciationes faciendas et respective recipiendas in materia sollicitationis, prout referuntur in Appendice Synodi Diœcesanæ Civitatis Castellane celebratæ a Sancto Lanucci anno 1756. Sunt autem: Prima Istruzione della Sagra Congregatione del S. Ufficio per la denuncia de' Penitenti sollicitati nella Confessione, senza manifestare il proprio consenso de' 27. Settembre 1624. Seconda Istruzione nella materia delle denunce di sollicitazione de' Confessori per la custodia del Sigillo Sacramentale de' 25. Marzo 1726. Terza Istruzione quando, e come si possano delegare li Sacerdoti Confessori, per ricevere le denunce

sciat, nec invincibiliter ipsam ignoret, ut recte docet Viva ad dictam propositionem 7. Alexandri VII, n. 3, et alii passim.

(61. Confessarii autem, qui culpabiliter, et malitiose non monent Pœnitentes ab aliis sollicitatos de obligatione eos denunciandi, seu docent ad id non teneri, denunciandi sunt Episcopis, vel Inquisitoribus qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ; Diana, p. 7, tract. 7, resol. 7. Rosignol, l. c. sect. 4, n. 7, et alii passim per clara verba cit. Const. Gregorianæ, ibi: « Quod si hoc Officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem Locorum Ordinarii, et Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. »

(62. Confessarii autem ipsi vere sollicitantes gravissimis pœnis pro qualitate delicti puniri mandantur, ut expresse patet in dicta Gregoriana Constitutione § 4, ibi: « Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, et circumstantiis, suspensionis ab exercitio Ordinis, privationis Beneficiorum, et Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, et passivæ, si Regulares fuerint, exilii, damnationis ad Trirames, et carceris etiam in perpetuum absque ulla spe gratiæ, aliasque pœnas decernent: eos quoque, si pro delicti enormitate graviore pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curie Sæculari puniendos tradant. »

(63. Contra Confessarios sollicitantes æque procedere possunt Episcopi, et Inquisitores,

nelle materie spettanti al Santo Offizio, senza Notaro de' 7. Luglio 1725. Quarta. Copia di un Capitolo di lettera scritta dalla S. C. del S. Offizio 14. Luglio 1755, qua monendus dicitur Vicarius Generalis, ipsi tantum jus esse deputandi alios pro recipiendis denunciationibus et spontaneis ubi de sollicitatione agitur, ubi vero agitur de aliis in peculiaribus casibus ad S. Congregationem esse confugiendum, a qua continuo et facultas conceditur. Quinta Metodo di ricevere le denunce de' Sacerdoti Confessori, specialmente però delegati in materia di sollicitazione, senza Notaro. Easdem Instructiones legere est in Barbosa de Officio et Potestate Paroehi, cum Animadversionibus, et Additamentis ejusdem P. Giraldis Romæ 1774. pag. 195. seqq. Ex aliis Observationibus autem P. Philippi a Carboneano unam alteramque hic referendam ducimus. Prima est: « Constitutiones... contra sollicitantes in confessione editæ in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos æque, ac Græcos sua amplitudine comprehendunt; const. *Etsi pastoralis*. Altera: Qui in partibus schismaticorum, hæreticorum, et Mahumetanorum degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes; tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denunciati, atque mulieres sine periculo, et infamia denunciare nequeant, denunciatos vero facile pœnam declinare posse credatur, recurrendo vel ad Episcopos schismaticos, vel ad Laicos iudices infideles, ex decreto Sacræ Congreg. Sancti Officii die 21. Febr. 1650, attentis supradictis causis absolventi sunt, moneri tamen debent, ut cessantibus supranarratis periculis, et impedimentis, teneantur denunciare. » (Edit. Barbiell.)

sive unitim, sive separatim; Sic expresse Gregorius XV, in dicta Constitutione incipiente: *Universi Domini gregis*, § 4, ibi: « Omnes hæreticæ pravitatis Inquisitores, et Locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, et locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Diocesisibus, et territoriis, per has nostras Literas, etiam private quo ad alios omnes specialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut supra his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus prout in causis Fidei, » etc.

(64. Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur etiam testes singulares, concurrentibus tamen præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis simul comprobantibus. Sic expresse Gregorius XV, in cit. Const., § 5, ibi: « Dantes etiam facultatem Venerab. Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, et Ecclesiæ Dei tam perniciosum ob probationum defectum impunitum remaneat, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis, et aliis adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo judicandi, et Curie Sæculari, uti præferatur, Reum tradendum esse pronunciandi. »

(63. Una tamen fœmina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam, et torturam, etiamsi concurrant alia indicia, nam tunc est consulenda Sacra Congregatio. Sic expresse rescripsit eadem Sacra suprema et universalis Inquisitionis S. Congregatio Vicario Generali Salernitano die 17 Jul. 1627, ut refert Pignatell., tom. 1, consul. 104, post num. 14, circa medium, his verbis: « Al Molto Reverendo Signore il Signor Vicario Generale di Salerno. Acchiocchè più fondatamente si proceda contro i sollicitanti in confessione, questa suprema Congregazione ordina, che per il detto di una sola Donna non venga a costituire il preteso Reo senza prima di darne qui avviso con relazione della qualità della Donna, del

CONFESSIO.

SUMMARIUM.

1. Confessiones Sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato sunt nullæ. — 2. Id valet etiam pro Confessione venialium et mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt. — 3. Comprehendit eos etiam qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerunt. — 4. De illis qui Confessionem Sacramentalem audiunt, cum ad Presbyteratum non fuerint promoti. — 5. De Confessionibus Cappuccinorum. — 6. Confessiones simultaneæ virorum et uxorum improbantur apud Græcos. — 7. 8. Quales circumstantiæ sint aperiendæ in Confessione. — 9. Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato satisfit Canon *Omnis utriusque sexus*. — 10. Confessionis annuæ præceptum obligat, etiam non commissæ gravi culpa. — 11. Parochus si prudenter credere non possit parochiano suo asserenti Con-

(1. Confessiones Sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato ab Ordinario loci, et absolutiones impertitæ ab hujusmodi, nullæ declarantur a Benedicto XIV. Constitut. incip. *Apostolica Indulta*, § 2. Nemo

Denunciante e del Denunciato, e allora si scriverà a V. S. se debba, o no procedere a costituirlo, e carcerarlo. Sarà anche V. S. contenta di significare questo medesimo ordine a' Vescovi suoi Comprovinciali, acciocchè ancora da essi sia eseguito, e il Signor Iddio le conceda ogni bene. Rom. 17 Lugl. 1627. Il Card. Millino. » Sic apud Pignatell., loc. cit., ubi insuper tradit instructionem pro Muliere verecunda personaliter denunciare recusante, et multa refert, et docet ad rem per totam dictam consultationem 104, merito legendam.

(66. Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima dispositio Benedicti XIV, felicitis record. incip., *Sacramentum Pœnitentiæ*, in qua confirmat, ampliat, et extendit supra allatam Constitutionem Gregorii XV, et reservat Papæ pro tempore absolutionem eorum, qui falso sacerdotes de sollicitatione accusant aut procurant, ut ab aliis falso accusentur.

(67. Sollicitantes ad turpia occasione Confessionis Sacramentalis, ultra alias pœnas perpetuam etiam inhabilitatem ad celebrationem Missæ incurrunt; ex decreto Sac. universalis Inquisitionis de mandato Benedicti XIV, edito die 5 Augusti 1743, ut in ejus Bullario, tom. 1, in Append., n. 8, pag. 46. Alia vide supra artic. 4, a n. 12, ubi plura ad rem.

(68. Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantis, illum occulte admoneat, ut sibi provident, sponte se offerendo Tribunali. Tenetur tamen etsi admonitus compareat, et sit ex corruptione emendatus, illum denunciare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII damnatis eruitur. De Synod. Diœc. lib. 6, cap. 11, § 9, et 10 nov. edit.

(69. Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia, et pœnæ aliæ huic sollicitationi indicatæ, non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa, ibi. § 14.

fessionem peregrisse, abstinere debet ab administranda eidem communione, etiam Paschali. — 12. Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare Regularibus. — 13. In necessitate sufficit scientia minus quam mediocri pro approbatione. — 14. De Confessione facta laico in necessitate. — 15. Pœnitens interrogatus a Confessario de peccato non confesso potest jurare eum non commississe, nisi Confessarius juste interroget ad noscendum statum pœnitentis. — 16. Sacerdos conferens Sacramenta non tenetur præmittere Confessionem, sed sufficit contritio, quia non habetur lex eam præmittendi. — 17. Præceptum Tridentini: Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebravit, quam primum confiteatur; intelligendum est, ut intra triduum confiteatur, nisi crastino die eadem necessitas urgetur.

enim unquam quodcumque privilegium obtinens audire potest Confessiones sæcularium absque approbatione Ordinarii; (2. idque valet etiam pro Confessionibus venialium et mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt.

(3. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerunt, ut ex Bulla Benedicti XIII, firmatur Institut. *Eccles.* 86, § 8.

(4. Confessionem Sacramentalem audientes, qui reperti fuerint ad Presbyteratum non promoti, Curie sæculari traduntur, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium Ordinem habuerint: dummodo absolutionis formam protulerint, quam si non protulerint, mitiori pœna damnari possunt; idem Constitut. incip. *Sacerdos*, § 8.

(5. Confessiones Cappuccinorum Confessariis extraneis permittuntur, deficiente Confessario sui Ordinis; etiam quoad casus reservados, præstita obligatione se præsentandi; idem Constitut. incip. *Quod communi*. Vide verb. *Cappuccini*, n. 5.

(6. Confessiones simultaneæ virorum et uxorum apud Græcos improbantur; idem Const. incip. *Etsi*, § 5.

(7. In Confessione Sacramentali aperiendæ sunt circumstantiæ mutantæ speciem peccati; Concil. Trident. sess. 14, can. 7, ubi anathemate perstringit asserentes contrarium.

(8. Et probabilis aperiendæ sunt etiam circumstantiæ aggravantes; idem de Synodo Diœc. lib. 6, c. 5, n. 1, ex pluribus ibi adductis.

(9. Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti sæculari, vel regulari ab Episcopo approbato satisfieri Canon *Omnis utriusque sexus* ex Constitutionibus Clementis VIII, an. 1592, et Innocentii X, an. 1645, incip. *Exponi Nobis*, constat, de Synodo Diœc. l. 7, c. 44, § 4.

(10. Confessio is annuæ præceptum obligat, etiam non commissæ gravi culpa, ut quis se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex S. Thoma in 4 Sent. dist. 17, q. 5, A. C. quæstiunc. 3, Institut. *Eccles.* 18, § 4.

(11. Parochus quamvis plerumque credere debeat parochiano suo asserenti confessionem peregrisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam Paschali, ut ex Roncaglia; Institut. *Eccles.* 45, § 15.

(12. Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare Regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint; Institut. *Eccles.* 86, § 9.

(13. In locis, ubi rarissimi sunt Sacerdotes, qui audiant Confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocri, ut ex Card. de Lugo, Institut. *Eccles.* 86, § 12.

(14. Quoad Confessionem factam laico in necessitate, dum non adest copia Sacerdotis de qua sermo fuit olim apud veteres Theologos, et etiam apud S. Thomam, recte docet eximius Pontifex, neminem ex veteribus illis

CONFIRMATIO.

SUMMARIUM.

ARTICULUS 1. — *Confirmatio quoad ejus esse, institutionem, materiam, et formam.*

1. Quid sit Confirmatio. — 2. Est de Fide, quod Confirmatio sit unum ex septem novæ Legis Sacra-

agnovisse, laicum esse verum ministrum hujus Sacramenti; sed eam Confessionem testimonium esse animi demissi et humiliati, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem et justificationem excitetur. Nihilominus tamen secius hanc nunquam fieri præstat, cum multis incommodis sit obnoxia: De Synodo Diœc. lib. 7, c. 15 per tot. ubi recte ex Decreto Clementis VIII illicitam esse et invalidam Confessionem factam Sacerdoti absentem notatur.

Alia ad rem, vide verb. *Pœnitent. Sacramentum*.

ADDITIONES CASINENSES.

(15. Pœnitens interrogatus a Confessario de peccato non confesso potest jurare non commississe, subintelligens illud: *quod confessum non sit*. Card. diss. 19, n. 118; Salm. n. 118, in fine et alii cum S. Alph. Lig. l. 3, tract. 2, n. 157, qui addit, hoc intelligendum esse, nisi Confessarius juste interroget ad noscendum statum pœnitentis ex prop. 58 dam. ab Innocent. XI.

(16. Juxta communem sententiam Sacerdos conferens Sacramenta non tenetur præmittere confessionem, excepto sacramento Eucharistiæ in cujus confectione ex Trident. præmittenda est; sed sufficit, quod eliciatur contritio. Sylvestr. verb. *Confessio* 1, § 2; Layman. 5, tit. 1, c. 5, n. 10; Nav. Sum. cap. 2, num. 6; Croix l. 6, p. 1, n. 92; Lig. l. 6, c. 2, n. 34. Quia ex Rituali romano de Sac. in genere sufficit pœnitere per contritionem, et Confessio est de convenientia, non de necessitate, tum quia in aliis sacramentis non habetur præceptum neque naturale, neque divinum, neque ecclesiasticum de præmittenda confessione; ut habetur in suscipienda eucharistia. Lig. l. c.

(17. Cum Tridentinum præcepit. « Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebravit, quam primum confiteatur. » Sess. 13, cap. 7, quæsitum quomodo illud *quam primum* intelligendum sit. Lig. lib. 6, n. 266, dixit sufficere, si Sacerdos intra triduum confiteatur, cum Lugo d. 14, n. 163. Dian., Tarvia, Candido et aliis multis; quia cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum, non censetur Ecclesia velle ac illud obligare cum tanto rigore. Communiter tamen dicunt Lugo n. 162 et 163, Viva, Milante, Dian. etc., quod aliquando per accidens ex tali præcepto sacerdos ille teneretur confiteri eadem die, et forte eadem hora, puta si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi nec posset confiteri. Lig. ibidem.

mentis a Christo institutum. — 3. Confirmatio est Sacramentum a Baptismo distinctum. — 4. Confirmationis Sacramentum fuit institutum a Christo in nocte Cœnæ Domini. — 5. Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma confectum ex oleo olivarum, et balsamo simul consecratum ab Epi-